



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

LXXXI. Ernestvs. LX. Arch. XLIV. Elector.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](#)

unde derelictus ferè ab omnibus fugit in Hollandiam , ubi ab Uraniæ Duce exceptus, extorrium more cum sacrilega conjugè vixit ad annum 1601.

## LXXXI. ERNESTVS. LX. ARCH.

## XLIV. ELECTOR.

**E**rnestus Alberti V. Ducis Bavariæ filius, tribus jam Infulis , Leodiensi nimirūm , Hildesiensi & Frisingensi junxit quartam eāmque majorem reliquias Colonensem. Pedo & Gladio opus fuit Ernesto ; Pedo quidem ut oves dispersas unum in ovile reduceret ; Gladio autem ut lupos permultos , hostes nempe suos copiosos procul pelleret, quod utrumque præclarè prorsus præstítit per annos 29. Utrumque paucis complexus Poeta canere nos docuit.

Ernestus Bavarus certans Gladioque Pedoque  
Restituit læsis vimque decusque sacris.

Talia tametsi probarentur minimè Lutheri asseclis Viris Principibus, hi nihilominus quod in Ernesto reprehenderent, non invenerunt, quod verò dilaudarent, facile repererunt: vixisse enim & mortem Arensbergæ obiisse an. 1612. non nisi *santissimè*, libris testibus confitentur. Gloriosus igitur reliquorum omnium ex Domo Bavariae Electorum Coloniæ antesignanus Ernestus, Coloniam Romam Germanorum dictam, dum non condidit, magnam partem restauravit.

## SECULUM XVII.

## LXXXII. FERDINANDVS. LXI. ARCH.

## XLV. ELECTOR.

**F**erdinandus Wilhelmi V. Bavariæ Ducis filius , Ernesti Electoris nepos , Academiæ Ingolstadiensis lucidissimum sydus in juventute fuit , in qua eruditionis & scientiarum præ-